QUAESTIO OBSTETRICIA:

QUOMODO NATURAE VIRES IN ILLAS PLACENTAE HUMANAE PARTICULAS AGANT, QUAE POST FOETUS EXPULSIONEM DIUTIUS IN CAVITATE UTERI OCCLUDUNTUR.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRURGIAE GRADUM AB AMPLISSIMO ORDINE MEDICORUM IN UNIVERSIT. FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA RITE OBTINENDUM

II. SEPTEMBRIS MDCCCXLIII

PUBLICE DEFENDET SCRIPTOR

CAROLUS REINERUS HERTZ.

ADVERSARIIS:

ALBERTO GIERLICHS, MED. ET CHIR. DR.
ALEXANDRO REUMONT, MED. ET CHIR. CAND.
CAROLO VELTEN, MED. ET CHIR. DR.

BONNAE,

TYPIS CAROLI GEORGII.

MDCCCXLIII.

VIRIS ILLUSTRISSIMIS

PRAECEPTORIBUS DILECTISSIMIS

H. F. KILIAN

ET

A. F. I. C. MAYER

HASCE PAGELLAS

D. D. D.

SCRIPTOR.

Vis est fusa per omnem naturam animalem, qua corpora certo limite et pacto mutatis aut reiectis, quae noxia sunt, sive digestis reparatisque, quae deficiunt sibi, aut quacunque ratione alia ex morbo ad sanitatem sponte migrant.

Boërus.

Perlongum inter medicos obstetricios certamen, in quo de ea quaestione agebatur, num, infante parto, aut statim secundinae manibus essent removendae, aut ad expellendas eas solis naturae viribus confidendum esset; hoc igitur opinionum discrimen foeminis sane periculosissimum ex eo tantummodo ortum esse mihi videtur, quod vera naturaeque studio digna cognitio defuerit eius partus stadii, quo placenta una cum ovi velamentis in lucem expellitur. — Quo quidem certamine quamquam nostris diebus abstinere medici coepti sunt, atque experientia docti inter methodos istas „passivam et activam" medium tenent, ita ut in casibus sanis nihil, in aegris recte agere studeant, miror tamen, quod etiamnunc de modo ac tempore, quo placentae partus incipiat atque perficiatur viri obstetriciae artis peritissimi non idem omnes sentiunt, sed prorsus inter se differunt. Alii enim (praeter veteres plurimos nomino inter recentes *Ioerg*, *Naegele*, *B. Osiander*, *Carus*) in solis doloribus ad secundinas et solutionem et expulsionem placentae petunt; quare vitio quodammodo vertunt, si forte placenta, id quod saepe evenit, una cum infante ab utero detruditur. Alii confirmant, partum placentae iam in partu infantis una cum maiore uteri vi

contractiva initium cepisse atque doloribus ad secundinas, si qui omnino adsint, ad finem tantum perduci; ita ut placenta, quae iam partus doloribus aut tota aut maxima parte ab utero soluta sit, secundinarum doloribus magis etiam solvatur tumque potissimum expellatur. (cf. „*Kilian's Geburtslehre*“ tom. I. p. 244). Alii etiam, auctore *d'Outrepont*, praeter uteri contractiones insuper etiam vim aliquam electricam in utero quaerunt, quae ad depellandam placentam plurimum valeat. Alius denique, cl. *Crantz*, (mirum dictu!) placentam ipsam se contrahentem ex utero moveri iudicavit. — Ita inter se differunt. — Nos omittimus quartam opinionem, omittimus vim istam electricam, quae mea quidem sententia probari nunquam poterit. Caeterum in eo omnes consentiunt, placentam utero se contrahente solvi atque expelli. Sed, quo gravior vis, eo maior sine dubio effectus est. Quo igitur graviores sunt contractiones uteri, eo facilius placenta depellitur. Dolores autem, qui proprie dolores ad partum appellantur, nec non dolores conquassantes — id, quod facile sentire licet — eos, qui in secundinis nascuntur dolores vi atque vehementia adeo superant, ut vix cum iis comparari possint. Sequatur ideo necesse est, ut si placenta contractionibus uteri unquam solvenda sit, illorum potissimum vi solvatur. — Prae ceteris cl. *Ulsamer* in libello suo „*Ueber das Nachgeburtsgeschäft und seine Behandlung, Würzburg 1827.*“ p. 4. omni cum studio iraque interdum contendit, in solo partus stadio quinto placentam et solvi et expelli; quaeritque ex adversariis captiosissime sane, quomodo unquam alio modo, nisi nexu inter placentam et uterum integro, pulsus funiculi umbilicalis declarare velint, qui diu post partum saepe sentiantur? — Sane, saepe quidem pulsat funiculus umbilicalis post infantem partum; atque quoties longius pulsat, toties certe placenta cum utero iuncta invenitur. Sed saepius, saepissime nulla pulsatio accipitur, quo igitur placentam iam una cum infante expulso solutam

esse firmatur. Atque quod melius, quod simplicius, quod saepius accidit, id regulam firmat. — Ad hoc metrorrhagias exstare acerbissimas necesse esse arbitratur, si ulla perturbatione stadium partus quartum longius producatur. Stadium partus quartum dum longius durat, dolores plerumque infirmi sunt, aut alia inveniuntur, quae ab norma discedunt; atque consentio cum eo libentissime, in doloribus fessis in aliisque turbis secundinas saepenumero et serius et molestius dissolvi. — Innixus igitur in auctoritate eius sententiae, quam in secundo loco posui, in observationibusque praeterea, quae in nostro aliisque nosocomiis obstetriciis quotidie instituuntur, placentae partum doloribus, qui in partu infantis existunt, vehementioribus incipere ac perficere contendo.

Utero erigente se primum gravius, quo quidem substantia durior, firmior magisque extensa apparet, deinde se contrahente vicissim, vellantur vasa inter uterum et placentam sanguinifera tunicaque tenui formata, tum unum post alterum (una cum tela inter ea cellulosa) rumpuntur*) simulque comprimuntur, quo fit, ut placenta ab utero soluta, certe solo suo supra foetum situ ac longitudine tenuitateque funiculi umbilicalis impediatur, quominus antecedenti infanti statim per vaginam ad diem succedat. His igitur obstantibus impedimentis in eo loco, ad quem usque pervenit, aut in utero ipso, aut in orificiis uteri aut etiam in vagina remanere cogitur. — Accedit, quod infante expulso uteroque collapso mira sanguinis circuitus mutatio fit, atque quietis illud spatium efficit, quod nunc puerperae evenire solet. Quo spatio finito sanguinisque circuitu restituto, denuo uterus, si placenta ad vaginam usque nondum pervenerit, resurgit, in id,

*) Haemorrhagiae ex utero, quae soluta placenta in muliere semper exstant, apud ea mammalia non perspiciuntur, quorum placenta ita constructa est, ut in partu edendo placenta foetalis a placenta uterina vasis integris secernatur.

quod continet, agit idque contractionibus repetitis in vaginam depellit. — Tum quidem fieri potest, ut, id quod saepissime accidit, aut in partu accelerato, aut in placenta ambitu maiore, aut velamentis ovi vasisque arctius utero iunctis, aut aliis ex causis, placenta non omnino ab utero liberari queat. In hisce exemplis dolores ad secundinas, qui solutionem ad finem perducunt, semper vehementiores observantur longiusque durant. Quae quidem res, quamquam ab regula quodammodo decedit, tam saepe tamen evenit, ut vitium aut morbus devocari non possit. — De tempore igitur, quo durat partus stadium, quod quintum dicunt, certus terminus non est definiendus; sed libentissime cum cl. cl. *Merriman*, *Maygrier*, *Kilian*, *Ioerg*, *Zeller*, *Blumhardt* et cum aliis existimo, normalis placentae partus prima post partum infantis hora fiat necesse esse.

Ita igitur definio ac determino placentae partum, qui etiam plerumque ita evenit, quemque solis naturae obstetriciis viribus hoc certo temporis spatio ad finem usque perduci oportet.

Sed in nulla certe naturae functione tales ac tanti inimici facilius nascuntur, qui perturbare eam atque miscere cupiant, in nullaque naturae vires, morbo resistentes, magis postulantur graviusque cum eo certamen ineunt, quam in eo aegritudinum ordine, qui „placenta retenta“ conformatur. Methodus illa passiva atque, quae ab medicis ei addictis nobis enarrantur exempla rem satis probant. — Causae, quae de partu placentae turbato accusantur, partim adversae mulieris valetudini et partui infantis infausto, partim utero variisque eius vitiis morbisque adscribuntur. Aliae etiam placentae ipsi permultisque eius aegritudinibus ac perversis conditionibus attribuendae sunt. Nomino nimiam virium corporis imbecillitatem morbis haemorrhagiisque exortam, partum infantis praecipitatum, immaturum; atoniam, spasmum uteri, situm eius obliquum, prolapsum, hypertrophiam, inversionem;

placentam deinde nimis extensam, praeviam, degeneratam uteroque aut parte aut omnino tela spuria affixam, placentas duas. Etiam velamenta ovi arctius utero iuncta, sanguis in vagina coagulatus, manus male obstetriciae et alia fortasse accedunt.

Ab his igitur obstaculis eorumque propria indole pendet via et ratio, quam in ea depellanda natura init. Sed quaecunque sit retentionis causa, id semper primum petit natura, ut, quae in utero continentur, contractionibus eius, sicuti in partu normali, expellantur. Quod si efficere nequit, tum miris illis ac variis modis utitur, quorum effectus, nisi saepissime sit observatus certissimeque comprobatus, vix credi potest.

---

1. Placenta retardata.

Iam incipio eam secundinarum depravationem tractare, quae ex rerum natura statim post normalem placentae partum sequitur, quaque placenta diutius quidem, quam par est, in utero retinetur, deinde autem sana omnino ac plena ab utero detruditur. — Ab iis momentis, quae, quominus secundinae tempestive edantur, prohibent, iam pendet id, quod de vario detrusionis tempore exemplis accepimus. Primum spasmi uteri, diminuta eius contractiva vis, placenta nimis extensa, tumque alia obstantia placentam retinere quidem ad tempus queunt, sed solvantur haec oportet, ne placenta, quum diutius relinquatur, putrescere aut alio modo deformari incipiat. (Id, de quo postea dissеretur.) Solus cum utero placentae nexus et talis quidem, ut sanguis per eum bene mutetur, id efficit, ut non dies solum aliquot, sed hebdomates, menses, annos etiam placenta in utero integra permaneat. Observatur placenta retardata plerumque in partubus prae-

maturis, in quibus talis rerum status, nisi ad menses annosque cogites, ab norma quodammodo poscitur. Libenter enim, auctore *Hildano*, placenta cum fructu comparatur, qui, ut bene frangatur decidatve, maturitatem quandam acceperit. „Ut enim poma matura de arboribus sponte decidunt, cruda vero et immatura nonnisi magno labore aut ventorum a suis pediculis avelluntur, ita cum secundinis accidit.“ Cf. *Hildani* op. om. p. 902. — Quare prima retardationis causa quaeritur in nimia placentae per vasa sangninifera telamque inter ea cellulosam iunctione, quae in prioribus graviditatis mensibus maior ac firmior sit, atque, quum partus prius evaserit, non omnino relaxari atque in partem exarescere potuerit. — Id quod saepius in partubus praematuris observatur, nec raro etiam in maturis accidere et ab indole quadam puerperae naturali pendere, refutari non potest. Iam *Stoeller* in libro „*Erfahrungen und Beobachtungen aus dem Gebiete der Heilkunst*, *Gotha 1777*.“ se exemplis, refert, didicisse, siccis plerumque, natu maioribus, ieiunis vasisque nimia amplitudine exstructis mulieribus occurrere, ut placenta diutius adhaereat. Hoc idem *Merriman* affirmat enarrans (cf. *Ingleby* p. 182 Pact. Treat.) in medicina privatim exercenda inter trecentos partus se in unam tantum placentam retardatam incidere; sed apud pauperes iam inter septuaginta et quinque partus unam certe evenire placentam retardatam. Atque foeminam, quae semel in secundinis laboraverit, saepius facile in iis laborare, hoc memorant omnes medici. Has praeterea inter alias, quibus placenta retardari solet, causas refero: Placentam praeter modum extensam, praeviam, uteri paralysin, situm eius perversum adhaesionesque inter ambos tendineas.

Infante igitur parto, quum doloribus ad partum et conquassantibus deinde placenta ita firmius iuncta solvi non potuerit, quamquam, de placenta agi, acutissimo in fundo uteri dolore significabatur, primum natura secundinarum doloribus

id perficere studet; qui quidem dolores tunc etiam vehementiores semper atque duriores existunt. Num quid proficiant, an nihil, intelligimus ex sanguine, qui profluit. Sed ipsa saepe placenta nimis adnata atque extensa vi uteri contractionum diminuitur. Itaque uterus, qui aliis suis viribus ad reiicienda ea, quae continet in nostro casu non utitur, clauso sensim orificio, placentam, quamvis ea irritetur, tamen retinet, et nisi magis extensus manibus detegatur, et gravidum se esse simulet, nullam amplius molestiam, ne lochias quidem, foeminae parat. Sed postea (quomodo ad hoc incitetur, non facile dictu est), iterum surgit ac tum demum placentam, quam huc usque servavit nutrivitque, doloribus secundinarum denuo exortis, expellit. — Placenta quin nutriatur, in dubium vocari nequit; sed quomodo nutriatur [disruptus est enim funiculus umbilicalis ideoque nexus cum foetu solutus, qui tamen ex opinione *Blumhardtii* (p. 13 „*das baldige Entfernen der Nachgeburt*, *Stuttgart 1830. 8.*) nutriendae placentae prorsus opus est] doleo, quod ab auctoribus non ita, ut rei satisfiat, explicetur (Conf. dissert. inaug. *Bergmanni* de resorptione placentae foetalis, Gotting. 1838). Id anatomiae gnari confirmant, in tela placentae cellulosa, quae est tunica serotina *Boiani*, nulla inveniri vasa sanguinifera, ne vestigium quidem; neque vasa vasorum unquam detecta sunt. Sed praeter haec vasa tamen nutritionem fieri, inter alia iam amnii et chorii textura, iam id ovi spatium docet, in quo vasa sanguinifera omnino non sunt et per villas aut cellulas plantarum instar nutritio fit; docemur iam placentae foetalis iunctione cum placenta uterina, in qua, nullis canaliculis aut vasis apertis, per endosmosin, ut hisce verbis utar, et ecdosmosin sanguinis mutatio instituitur. Atque et hoc scimus (conf. „*Müllers Handbuch der Physiologie*“ lib. VIII. p. 28) non in villis solum placentariis, sed serius etiam arteriarum ramulos cum venis coniunctos esse, eaque re in ipsa placenta sanguinis circulatio-

nem ideoque nutritionem esse restitutam. — In placenta, quae dicitur degenerata, una cum nova structura etiam nova vasa creata esse, pro certo facile habetur; quare et *Mende* confirmat, nullam nisi tali modo mutatam placentam nutriri posse. Num sola placenta integra atque omni parte cum utero coniuncta talem nutritionem accipiat neque putrescat, hoc quamvis *Saxtorphius* confirmet, tamen in dubium vocandum est. Sanguifluxus ex vagina, qui primum aderat in iis etiam exemplis, quibus placenta per longum temporis spatium salva retinebatur, idque insuper, quod frusta placentae diu post partum (Conf. seriem exemplorum, quae modo sequitur) sana minimeque putrefacta ab utero detrusa sunt, hanc affirmationem non probant. Aeque refutanda est *Saxtorphii* atque *Froripii* sententia, placentam, quae cum utero plane connexa sit, nunquam putrescere posse (cf. *Kilian* „*Geburtslehre*“ tom. II. p. 597). Nam clarissimus *Fischer* (*v. Loder's Journal* lib. IV. p. 450) invenit in utero dissecto placentam omnino quidem cum utero connatam, sed iam superficie inferiore putredine correptam. In tomo VI. p. 202 ephemerid. *Siebold.* de placenta agitur, quae, quamquam omnibus partibus cum utero cohaerebat, putredinem tamen insignem manifestabat. Alia, quae contra opinionem *Saxtorphii* certant, exempla invenies in hisce libris: „*Lehre der Geburtshülfe von d. j. Stein*, *Marbg. 1825*“ tom. I. p. 369. — „*Horn's Aufsätze*, *Wien 1838*“ p. 189. — „*Loder's Journal*“ tom. I. p. 290. — De hisce igitur rebus nihil certi, nulla regula.

Iam sequuntur aliquot exempla placentae retardatae insignia:

Bartholin (act. med. soc. Hafn. 1633. p. 54) —
placenta retenta integra edita est. . . . hebd. XIV.
Blumenbach (*Osiand. Entbdgk.* III. p. 394) . „ VIII.
Brachmann (*Schmitt's Jahrb.* I. p. 218) . . „ XV.
Fischer (*Rust Journal* XVII. p. 334) . . . dies X.

Froriep (*Geburtshülfe* p. 528) — post plures menses.
Gehler (diss. de utero etc. Lip. 1765. p. 9) . . hebd. XIII.
Haller (elem. ph. t. III, 29. p. 36) p. menses et annos.
Hecking (*Schmitt's Jahrb.* III. p. 47) . . . hebd. XVI.
Henschel (*Rust Journal* VII. p. 105) . . . „ III.
Ingleby (A practical Treatise etc. p. 208) . . „ IV.
Kerkring (specil. ant. obst. obs. 36) . . . . . „ XVI.
Menzel (misc. nat. curios. ec. II. p. 74) . . *annum.*
Merclin (eph. nat. cur. ec. II (1) obs. 184) . hebd. VI.
Oertel (*med. prakt. Beob.* I, 1, No. 3) . . . *anno* VIII.
Pirondi (*Schmitt's Jahrb.* VII. p. 76) . . . *mens.* VII.
Reichmann (*Huf. Journ.* t. LIII. p. 116) . . hebd. XIII.
Saxtorph (*ges. Schriften* p. 300) . . . . . „ X.
Schoeller (*med. Zeitg.* 1842. No. 7) . . . . „ XI.
Solingen (Hall. elem. XIII. p. 253) . . post mens. IX.
v. Swieten (comment. t. IV. p. 579) . . . hebd. IV.
Zanetti (nov. act. Norb. t. V. p. 150) . . . „ VI.

frusta plac. serius emissa invenies:

Chadbourne (the New. Eng. Jour. Post. VIII. 3.) hebd. V.
Froriep (*Geburtsh.* p. 523) . . . post aliquot menses.
Ingleby (op. cit. p. 206) . . . . . . „ „ hebdom.
Mauriceau (obs. sur la gross. obs. 162) „ hebd. IV.
Plenk (*Anfangsgründe d. Geburtsh.* p. 357) „ „ I.
W. Schmitt (*Siebold Journ.* III. p. 486) „ „ II.

Similia referunt exempla: *Aepli*, *Boehmer*, *Davies*, *Haller*, *Hildanus*, *Loder*, *Meissner*, *Merrimann*, *de la Motte*, *Plenk*, *Roederer*, *Ruysch*, *Schmidt*, *Schmitt*, *Slevogt*, *v. Sorbait*, *Stoeller*, *Voigtel*, *Weissenborn*, *Wigand* et alii.

2. Placenta putrefacta.

Alterum, quo natura placentam relictam amovet, remedium idque periculosissimum in eo positum est, ut uterus placentam vel placentae partes, quas contractionibus non expellit, primum disrumpat, conterat, maceret, tum destructas eiiciat.

Iam ex conditione atque textura placentae apparet, perdurare eam per breve tantum temporis spatium moxque in ipso corpore vivo senescere. Quam si dissecueris, extra permulta vasa sanguinifera, quae, membrana tenera — est enim tunica vasorum intima, qua formantur — exstructa, volumen interdum satis amplum suppeditant, nihil nisi telam cellulosam cognosces, quae gelatinae magis, quam texturae firmae densaeque similis apparet. Constat igitur inter omnes rei gnaros, nullum corporis organon prius secerni ac putrefieri, quam placentam ab utero haud nutritam. Idque, quod de tota dicimus, multo magis in laesa ac disrupta placenta valere, per se intilligitur. Remanet praeterea placenta in organo, cui a natura praescriptum est, ut, infante parto relabatur eosque, quos huc usque acceperit, succos, ad mammas ceterumque corpus reddat. Atque omnes, quaecunque sint retentionis causae, putredinem non admittunt solum, sed etiam iuvant, ideoque, dum relinquitur aliquid, semper timendum est, ne talis unquam exitus eveniat. Illam ipsam placentam, quae primum et per longum quidem tempus ab utero bene nutrita sit, irritamento aliquo exorto, ab illo per putredinem discedere posse, firmatur multis exemplis, inter quae illud *Boehmeri* (de quo postea loquar) appello, quo enarratur, frustum placentae, quod iam ad novum usque partum salvum connatumque cum utero retentum sit, in hoc tandem partu secretum ac per ichorem expulsum esse. — In iis lochiis,

quae nomine sanguinolenta altero ex partu die vulgo oriuntur et interdum odorem ingratissimum exhalant, indicia placentae putrefactae intelligimus. Reliquiae enim aut tunicae deciduae, telorum ovi, aut placentae, quae in secundinis non radiciter remotae sunt, sed in utero leviter haerent, corripiuntur elementis alienis atque secretae omnino ac destructae per vaginam effluunt. Eodem modo et maiores, quam vulgo esse solent, placentae partes vel ab utero solutae omnino, vel etiam ab eo male nutritae in materie decomponuntur et saniei similes, cui particulae saepenumero haud plane corruptae immixta sunt, emittuntur. Quo crassiora sunt frusta, eo longius resistunt, saepeque ita eduntur, ut in margine solum putrefacta et quodammodo cortice solo ichoroso appareant. Ita plerumque res conspicitur. De tempore, quo iam putredo oriri possit, certum terminum definere non licet. *Gooch* (v. *Ingleby* libri saepe citati paginam 208) vidisse se affirmat, hora vicesima quarta post infantem partum placentam abire putrescentem. Exemplum non habeo, quo eluceat, placentam prius putrefactam esse. Plerique auctores determinant diem a partu quartum, quintum, sextum etc. Neque tamen per vaginam solam, sed altera etiam via id, quod putrefactum est, ex utero abducitur. Nam sicuti in aliis organis, ubi in materie depravata aliquid peccat, per vasa lymphatica venasque sanies assumitur, succisque caeteri corporis admiscitur, fieri non potest, quin in uterum ipsum, cuius vis absorbens mira est, facilius ac celerius ichor placentae putrescentis intret. Quo quidem quamvis interdum foeminae valetudo minime laedatur *), plerisque tamen exemplis

---

*) Cf. „*Das Nachgeburtsgeschäft von Ulsamer, Würzburg 1827.*“ p. 19. — „*Die sichere Zurücklassung der Nachgeburt von Aepli, Zürich 1776.*“ p. 93 u 94. — „Dissertatio inaug. de non accelerandа secundin. extractione auct. *Appun*, Goetting. 1768.“ p. 25. — „Traité des accouchements par la *Motte*. à la Haye 1726.“

docemur, non utero solum materie alienata irritatio eum, inflammationem, putrescentiam excitari, sed etiam ob tale in succis venenum febrem putridam aliorumque organorum infectionem ac degenerationem procreari. — Sed puerperae valetudo ita in discrimen vocata haud raro ipsa febri et inflammatione reservatur; atque in mutatis alvi, urinae, sudoris secretionibus in lochiisque putridis remedium intelligimus, quibus natura id, quod alienum est, amovet.

---

3. Placenta resorpta.

Animadverterunt nostris diebus artis obstetriciae peritissimi quidam viri — certe iam pristini, quamquam opinionem non dixerunt suam, idem hoc animadverterant — accidere nonnunquam, ut placenta, neque in forma ichoris, neque tota aut frustulis serius quidem, sed prorsus nullo modo per vaginam ad diem ederetur. Id, quod primum suspicabantur, placentam, uti saepe observatum est, tantopere utero adhaerere, ut solutio difficilior ac longior esset, eo est refutatum, quod tempore certo post, non solum una cum orificiis clausis uteri forma omnino restituebatur, sed etiam, mira antecendente succorum perturbatione, lactatio, menstruatis, nec non nova adeo graviditas ac partus eveniebat. Exemplis igitur similibus cum studio collectis attenteque observatis, necessitas exstabat iudicandi, propria uteri indole *placentam consumi* atque *resorptione* in caeterum corpus adduci.

Quod quidem *Bianchi* primus in sua generationis histo-

---

lib. V. obss. 391 et 392. p. 599. — „Traité des maladies des femmes grosses par *Mauriceau*, Paris 1715." t II. obs. 25 etc.

ria pagin. 158 adnotavit *), Angli deinde quidam medici obstetricii, inter quos mihi *Denman*, *Blundell*, *Ramsbotham*, *Ingleby* noti sunt (v. o. c. *Kilian* t. II. p. 598), scriptis praelectionibusque tanquam rem notam atque in disciplina obstetricia iam dui receptam edocent, — id nobis cl. *Naegele* primus pronuntiavit in *Froripii* notionibus — No. 467 l. XXII. sept. ann. 1828 — atque exemplis suae praxeos tribus aliisque aliorum confirmavit. — Excitati deinde eum secuti sunt alii sua quisque exempla afferentes; sed omnium primi cl. *d'Outrepont* atque cl. *Salomon* Lugdunensis Bat., tum *Osiander* et caeteri, qui non solum partes ac frusta placentae (*Naegele*, *Schmidtmüller*, *Osiander*, *Goetz*) atque placentae immaturae (*d'Outrepont*, *Gabillot*, *Osiander*, *Steinberger*, *Villeneuve*, *Hemmer*) sed etiam placentam et integram et maturam (*Bürger*, *M. Lagémard*, *Naegele Porcher*) ab utero consumtam esse enarrabant. Exstiterunt quidem hac nova rerum specie et adversarii non pauci, depravantes eam et, duce foemina cl. *Boivin*, quae anno 1829 „Observations et reflexions sur les cas d'absorption du placenta" edidit Parisiis, denegantes prorsus; sed tanta est priorum auctorum gravitas ac fides, ut nunc de eo non amplius quaeratur, num fieri omnino resorptio possit, sed quomodo ea et qua conditione instituatur. Utero instrumentum esse resorbendi, iam anatomiae studio docemur; novimus enim tunicam in cavitate uteri mucosam cum multis parvis villis (ab iis, quae intestinis tenuibus insunt non multum differentibus) exstructam, multas deinde arterias, plures autem venas, quae reti similes totum parenchyma explent seque in venas uterinas spermaticasque colligunt, multa denique vasa lymphatica, quae in plexum uterinum transeunt. —

*) „Non ita (sc. steriles) fiunt tamen, si relictae in utero secundinae, neque unquam excretae, sensim (quod et rarum non est) absumuntur."

Atque his etiam resorberi posse, probatur et tunica decidua *Hunteri*, quae sub fine graviditatis consumta est, et resorptione saniei placentae putrefactae ovique velamentorum, et miris exemplis, quibus in utero ruminantium animalium nihil nisi ossa foetus reperta sunt (cf. dissert. de placentae foet. resorptione Gotting. 1838. p. 8. auct. *Bergmann*). Perscrutemur igitur resorbendi rationem. Ii, qui ex bestiarum exemplis, in quibus ossa foetus carne omnino nudata in utero inventa sunt, rem probare rationemque consumtionis perspicere student, disgestione quadam fieri eam arbitrantur, ita ut placenta succis quibusdam, ab uteri tunica intima mucosa secretis, fortasse pervadatur, mitigetur atque, uti in ventriculo, liquefacta per villas in venas vasaque lymphatica suscipiatur. Ita ego quidem explico *Cari* „vim uteri digestivam“ et vocem, qua *Denman* utitur „digested.“ Multam quidem animalium ruminantium uterus ventriculi similitudinem suppeditat; sed hoc solum nihil valet. Probetur enim necesse est, ruminantium uterum re vera absorbuisse. Sed omnium exemplorum ne ullum quidem est, quod merito laudetur (cf. *Bergmann* diss. p. 10 et seq.). — Exempla *Rudolphi*, verbi gratia, omni anamnesi carent. Casus *Baddam* est eam ob rem improbandus, quod accidit in graviditate extrauterina. *Bartholin* et *Camper*, qui alia proferunt exempla, ipsi arbitrantur, putredine esse partes foetus molles consumtas. Ossa, quae in utero cervae invenit *Iaeger (Meckel's Archiv 1826*. t. IX. p. 91) minime digestione ab utero, sed potius solutione aut maceratione in liquore amnii a carne nudata esse eo elucet, quod ovi membranae, eousque optime servatae, impedire debebant, quominus uterus digereret, nisi antea ipsae digestae essent. — Atque quale invenitur discrimen, si hominum uterus comparetur vaccarum! Ubi praeterea organa ad succum digestivum secernendum? ubi glandulae, quae repraesentent glandulas *Liberkühnii*, *Brunneri*, *Peyeri*? Narrant quidem exempla foetuum in utero humano praeter ossa

consumtorum *Schurig*, *M-Lagémard*, *Mauriceau.* Sed in iis omnibus ne festigium quidem resorptionis inveniri, satis superque *Bergmann* monstravit (op. cit. p. 13 et 14.) — Mittimus igitur haec analoga. Sequitur ex exemplis fere cunctis accurate observatis eas placentas placentaeve partes, quae resorptae dicuntur, firmissime cum utero connatas fuisse. — Quod si respexeris, facile in primis vitae organicae legibus conditionibusque innixus absorptionem declarabis: Sicuti enim in caeteris corporis partibus tumores, ecphyemata et alia, quae cum spuria telae amplificatione exorta sunt ex morbo aliquo, in succis mutuo dandis reddendisque praecipue respiciuntur et, ut omnia inter se consentiant, adaequantur, si fieri potest, ita in utero quoque res se habet, ibique celerius omnia ac melius efficiuntur, quoniam eius structura, situs, calor vitalis, mutabilitas et praecipue tunica mucosa aptissima sunt, quae resorptionem adiuvent. — Sed placenta nonne resorptione absumitur, etiamsi ab utero disiuncta sit? Exempla id et ratio affirmant, quae placentam et putrefactam resorberi nonnunquam edocent. Quod quidem ad id pertinet, quod de placenta per putredinem ex utero remota supra diximus et in tali rerum conditione evenit, qua, quominus ichor bene effluat, impeditur. Sanguinem in orificiis uteri coagulatum, placentam praeviam spasmosque uteri inter impedimenta appello. — Horum resorptionis duorum generum, quae simul quoque adesse possunt, utrum adsit plusve vigeat, id aut malam aut bonam puerperae valetudinem constituit. In aliis enim casibus, ubi placenta consumpta est, antequam putrefieri poterat, praeter secundinarum dolores lochiaque parca vix sanguinolenta et haemorrhagias fortasse, nullum morbi signum apparebat, immo ne lactatio quidem perturbabatur *) atque, hebdomadibus aliquot praeterlapsis,

---

*) Lactatio restituta a plerisque auctoribus signum resorptionis finitae laudatur.

menstruatio denuo rediit (cf. cas. I. et II. *Naeg.*, c. *d'Outrepont*, *Steinberger*, *Villeneuve*). In aliis casibus iam in lochiis foetidis sanguinolentisque, in febriculis, dolore abdominis, alvo, urina pulsuque alienatis signa se offerebant indicantia, iam in placenta absorbenda putredinem quandam esse exortam (cf. c. *Osiander*, c. III. *Naegele*, *Kyll*, *Porcher*). Sed quum, antequam resorpta sit, placenta putrescat, grave illud naturae cum materie corrupta eique adversa certamen oritur, quod cl. *Salomon* optime, nec non *Bürger* ac *Schmidtmüller* ex suis observationibus accurate describunt.

Lochia quam maxime foetida, ichorosa, parca, acutissimus dolor in abdomine valde expanso, alvus tenuis, saepissime soluta odoremque exhalans molestimum, sudores copiosissimi, lactatio in laxis mammis omnino depressa, pulsus dein celerrimus, admodum debilis, irregularis, febris putrida, deliria, haec et alia signa aestimantur, quae acerrimum inter morbum et naturam certamen manifestum faciunt.

Attamen „per tantos casus, per tot discrimina rerum" victrices prodeunt naturae vires, hoste, in quem invectae erant, devicto atque fugato.

Septendecim resorptionis exempla, quae, iis Anglorum exceptis, hucusque innotuere, ne iterum describam, apello hosce libellos („*Die Resorption der Placenta*, *Inaugural-Abhandlung von F. P. Adami. Götting. 1835. 8.*" p. 15 et sq. „De placentae foetalis resorptione, diss. inauguralis auctor. *C. Bergmann.* Gotting. 1838. 8." p. 42 et 43. „De absorbenda placenta post partum in utero residua, diss. inaug. auct. *F. G. Maass.* Rostochii 1838. 8.") de placenta resorpta conscriptos, in quibus omnia bene collocata assiduoque cum studio enumerata inveniuntur.

Anglorum hosce memoro libros: *Denman*, introduction to the practice of Midwifery chap. XIV. sect. V. — *Ramsbotham*, Lond. Med. Gaz. t. XIV. p. 770. — *Blundell*, Principles and Practice of Obstetricy p. 629. — *Ingleby*, in op. cit. p. 206 et 207.

4. Placenta adnata.

Dicunt quidem auctores, nostra demum aetate cognitum esse, eas secundinarum reliquias, quae neque integrae nec putrefactae postea abiiciantur, neque resorptione consumantur, cum utero intimo coniunctas, tanquam alteram eius partem atque appendices, in eo remanere ab eoque nutritas diu incorruptas perdurare. Sed res neque nova est, neque nostris diebus primum reperta. Adest enim sententia *Cornelii Plevier* (cf. eius librum „de gezuiverde Vroedkunst, Amst. 1751“ p. 94) qua, certe exemplis innixus, contendit, placentam retentam atque adhaerentem aut liquefieri tandem aut in hydatydas mutari. Quamquam sub voce hydatydarum quid intelligatur et quaenam sit forma interpretatione caret. Membranam autem solam designari, sacculi instar extensam ac liquore expletam, hoc nemo probabit; coniiciendum est potius tumorem designari quendam, qui membrana obtectus formam vesiculae ob oculos ponit.

Clarius rem atque apertius *Bianchi* in loco iam citato annotavit. Edocet enim, placentas diu retentas, nonnunqnam „in molae specie abire, saepius vero ad corii similitudinem exsiccatas et in utero compressas remanere.“

Etiam *Paulus ab Sorbait* in „universa medica Norimbg. 1672“ p. 469. „Est, inquit, secundinarum crassities et durities, quae partibus uteri saepius adhaeret et accrescit.“

Nec non *Zanetti* in „novis actis Norimbg. 1733“ t. V. p. 150 contra Vinodonam veras esse secundinas, coniicit, non corpora iisdem analoga, ex concrescente sanguinis parte quae in utero saepe adhaereant. Neque exempla desiderantur singularia, quibus potissimum res probetur. Etenim *P. A. Boehmer*, qui de placenta quam diligentissime scripsit, in actis physico-medicis (t. IX) Norimbg. editis, casum enarrat, quo relictam placentae partem tum demum in utero invenit, quum

novo partu foemina mortua erat dissecta. Adparuit in fundo uteri tumor, firme adhaerens, in putredinem transiens, pondere unciarum octo. *Menzelius* praeterea in „ephemeridibus naturae curiosorum“ dec. II. p. 74, exemplum describit, quo foemina sine ullo damno post annum unum et dimidium secundinas aridae instar pellis demiserit, laudatque aliorum exempla similia. — Clarissimum certe inter omnes casus, qui hac de re unquam observati sunt, et vix credibilem casum memorat *Cornelius Solingen* (Invenies eum in Halleri elementis physiologiae t. VIII. p. 253). „Inde a priore partu particula placentae sederat in utero cum funiculo umbilicali; ad finem adnatum erat novum ovum cum suis vasibus, eaque vasa decurrebant per antiquum funiculum in placentam, quae nova, rotunda, vasculosa aderat. — Ita novus foetus per antiquam placentam alebatur.“

Observarunt denique auctores quidem, ex reliquiis placentae molas exoriri posse, quae quidem nostra sententia solum foetus depravati rudimentum habendae sint. Ex sua de molis opinione certe illi non erraverant. Elucet enim ex locis multis, tumorem aliquem deformem, incognitum fortasse, voce molae saepe significatum esse. — Ita Hallerus „elemt. phys. t. VIII. 253“ — „Placentas ovorum abortivorum, affirmat, in molas abire magnas nonnunquam, grandescere fibrosas, sanguineas.“

Atque *Thomasius Kerkring* „Fit saepe, ita refert in observationibus med. p. 82, ut matris quodam infortunio foetus excidat matri, remanente in utero placentae materie, quae dum ibi haeret, non putrefit, sed augescit; postea autem haec placenta, quae vera est mola, sine foetu prodit in lucem illo ipso tempore, quo prodiisset infans.“ — Atque *Thomasium Kerkring* eum esse scriptorem scimus, qui gravitate quadam securitateque de se ipse laudat: Ego *Thomasius* sum, et quod non video, hoc non credo! — Seriem facile aliis exemplis augere possum.

Sed negandum non est, inter veteres scriptores fuisse nonnullos, qui aliter de tumoribus in utero repertis opinati sint. Putabant enim, non quidem placentae reliquias, sed solum sanguinem ex vasibus sanguiniferis exsudatum induratumque esse, quo tales tumores orirentur. Ita *Vinodona* in „morbis mulierum" cap. III, qui „Secundinas, ait, veras nunquam fuisse, sed corpora eisdem analoga ex concrescente parte sanguinis formata, qui in uterum effunditur." Consentit cum eo *Mursinna (Abhandlung der Krankheit der Weiber)* tom. II. p. 36, affirmans, saepissime quidem conspexisse se tumores in utero post partum exortos; sed eos nihil sibi esse videri, nisi sanguinem ex utero emissum coagulatumque.

Quocunque modo res se habeat, mirandum sane est, quod, iactis tot fundamentis, ad nostros usque dies ea res, de qua maiores iam disputarunt prudentissimeque cogitarunt, non ita investigata ac perfecta sit, ut ad manifestam eius nobisque dignam cognitionem iam pervenerimus. Adsunt quidem exempla et observationes a posteris scriptoribus enarrata; sed deest talis de iis ratiocinatio, ut ea, quae et ipsi et veteres viderunt, nec certum possint iudicium afferre, nec ad ordinem quendam regulasque probatas perduci. Hoc sine dubio rem male iuverit, quod *Fischer (Loder's Journal* t. XV. p. 450) statuit, adhaesiones fibrosas nullo modo exoriri posse inter placentam et uterum!

Neque tamen res, de qua hic agitur, minoris pretii est, quam resorptio ipsa, quae antea viros obstetriciae artis peritissimos maxime occupavit, ad quamque penitus perdiscendam id, quod summum est, sectiones omnino deficiunt, aut ignotae sunt. Atque donec sectiones desiderantur, quis non poterit negare, placentam nunquam omnino fuisse resorptam, sed duriores eius ac firmiores partes resorptionem fugisse atque, cuiuscunque sint formae, depravatas in utero remansisse? Quo quidem non prohiberi, quominus novi partus

exstent, edocent et ratio et exempla auctorum *Boehmer, Solingen*, alia.

Hodie demum id, quod maiores iam investigaverunt et recentes, quamquam haud ignari atque immemores, neglexerunt, Anglorum quidam scriptores sua doctrina suisque observationibus, quantum fieri licuit, denuo explicare coeperunt. Exempla quidem, quae attulere, neque numero nec singularitate ea, quae iam in libris sunt, superant, sed fundamentum quasi iis supposuerunt, collegerunt, compararunt inter se omnia anatomiamque, quod plurimum est, et physiologiam strenue undique respexerunt.

Laudo cl. *Blundell* („principles etc." part. IV, sect. XLIX „foetid discharge"); *Ramsbotham* („lectures on the Theory and Practice of Midw. prael. 46 et 47, The London Med. Gaz. tom. XIV. pagg. 743, 744, 770"), praecipueque *Ingleby*, qui in capite libri „Practical Treatise etc." vicesimo primo, „On disruption of the placenta" inscripto, hanc quaestionem nostram accuratissime pertractavit. Memorandae maxime sunt paginae 208, 209, 210, 211, hisce verbis incipientes:

„*It has already been observed, that a retained portion of placenta is usually east off from the uterus in a decomposed state. To this law of nature, however, an exception must be taken. — The exception has reference both to the ordinary form of morbid adhesion, and also to a peculiar organisation of tre retained substance, occasioning protracted and even fatal cases of haemorrhage, which has not, I think, obteined from any of our obstetric authors a distinct notice.*"

In dissertatione „De placenta disrupta, Lond. 1837" collegit *Nath. Rumsey* plures sententias locosque ad rem aptos ex Anglis scriptoribus, praemissis iam aliquot suae praxeos casibus, quorum primus hanc sectionem annotat: „Inveniebatur fundo (uteri sc.) adhaerens placentae fragmentum, iuglandis grandioris instar, presse coopertum (excepta

sexta superficiei eius media parte nuda) lymphae coagulabilis lentescente tunica, et talis cum utero erat connexio, qualis per dissectionem solummodo solveretur. Textura fragmenti durior erat, quam placentae sanae." Mira est similitudo inter hoc et illud exemplum, quod *Ingleby* (p. 209) ita describit: *a tumour of rather florid colour was found firmly adherent to the sides of the fundus uteri at its highest part; the lining membrane covered the greater portion of the mass, though not its centre, which was ragged etc.*"

Sunt morbi placentae et vitia inde in structura eius exorta, quae talia in utero spuria organa incitant. Sed accuratius rem designabo. Neque est enim placenta ipsa, sed potius spatium inter placentam et uterum intermedium, unde illae uteri appendices originem ducunt. Spatium hoc intermedium, quod continet praeter vasa sanguinifera telam cellulosam (tunicam deciduam scrotinam) mutabilem, caducam, levem, variis modis a placenta inde uterove deformari potest. Nimia in placentam sanguinis congestio, inflammatio deinde placentae aut totius aut cotyledonum singularum, nonnunquam etiam inflammatio eius uteri partis, ubi placenta adhaeret — causae deformationis proximae habentur.

Iam apparet e structura placentae exemplisque firmatur, ex omnibus inflammationis finibus eum in placenta potissimum oriri, quem exsudationem appellant. — Exempla gangraenae sunt nulla, suppurationis parcissima; tria tantum habeo enarrata ab *Dance, Brachet, Faber* (cf. „*Organ für die gesammte Heilkunde, Bonn 1841.*" lib. I, 4, p. 508), quibus pus inter placentam et uterum instillatum fuisse probatur. — Materies albuminosa, quae exsudatur, in massam gelatinosam, cartilagineam, fibrosam, carneosam, osseam mutatur, simulque vasa, quibus nutritur, sanguinifera nascuntur. Varios, qui inde formantur, morbos texturae, scriptores nominant hypertrophiam, atrophiam, hepatisationem, steatomata,

scirrhum, adhaesiones tendineas *), tumores fibrosos, tubercula, ossificationem. Depravatur hisce modis aut omnis tela interiecta, aut, quod saepius observatur, singulae tantum eius partes, quo adhaesio placentae cum utero aut universa, aut in paucis tantum cotyledonibus exstat. — In partu igitur infantis ab tenacitate amplitudineque telae inter uterum et placentam destructae pendet, num placenta una cum infante solvatur, an cum utero coniuncta in eo remaneat. Quod igitur dolores ad partum conquassantesque non perfecerunt, id dolores ad secundinas, qui tum vehementissimi sentiuntur, ad finem usque perducere student. Sed tam firma est coniunctio, ut, quamvis uterus omni vi laboret, omnesque deinde vires et putredinem et resorptionem impendeat, et foemina doloribus, haemorrhagiis, febribus ad mortem usque debilitetur, nulla tamen unquam separatio perficiatur. Hisce igitur viribus, quibus quidem eae, quae unquam develli atque abrumpi poterant, partes abiectae sunt, frustra adhibitis, uterus, ne detrimentum vitae importetur, reliquias adhuc haerentes non retinet solum amplius, sed tuetur adeo easque ita parat et conformat, ut tanquam commodae ei ac propriae in societate quadam naturali cum eo serventur **).

Sequitur ex scriptorum opinione exemplisque, illa uteri incrementa duas praecipue formas accipere (cf. „*Geburtsl. von Kilian*“ t. II. p. 600). Altera et quidem rarior est

*) Adhaesiones tendineae, filiformes, quarum saepe mentionem feci, nonne sunt vasa sanguinif. obliterata?

**) In separanda placenta adnata ab placenta retardata dubitatio quaedam mihi eo exstitit, quod adnatae etiam uteroque aptae partes serius tamen, partu exempli gratia iterato, abiiciuntur. Memoro casus ab auctoribus *Boehmer*, *Menzel* et *Solingen* conscriptos. Sed in placenta adnata numero eas etiam placentae reliquias, quae, etsi postea expulsae sint, tamen deformatione quadam, utero se accomodatas ab eoque munitas fuisse, ostendunt.

stratum membranaceum, tenue, fibrosum, corii instar internam uteri superficiem firmissime obtegens (cf. *Bianchi, Menzel, Ramsbotham, Ingleby, Franck (Schmitt's Jahrbücher* t. VIII. p.   ). Altera, quae frequentior est, tumorem ostendit prominentem, qui placentae reliquias vasculosas quasi nucleum intus continet; exstrinsecus autem tunicam fibrosam, lentescentem *(Rumsey)* nucleumque circumdantem ante oculos ponit. Ita rem describunt *Ramsbotham, Ingleby, Rumsey, Biancini (v. Simpson* in ephemeridum *Sieboldi* t. XVII. 1. p. 121). Utra existat forma, hoc a propria partis retentae indole situque eius in utero pendet. Etenim placentae reliquum, quod magis in latitudinem patet, et raris arteriis venisque nutritur — ita ut omnes, quae ab utero aliquot distant, partes putredine facile corripiantur, in primam potissimum formam una cum utero decrescente commutatur. Partes autem dum restant vasculosae, quae minorem ambitum praebent semperque nutriuntur expanduntur que, vasorum tandem finibus sanguine coagulato clausis, formam tumoris membrana propria cooperti accipiunt. Dictu haud facile est, unde membrana tumorem obtegens nascatur. Novimus quidem miram uteri in tunicis procreandis facultatem, atque exemplis discimus, membranam illam ex orbe tumoris inde in partem eius mediam crescere. Sed quum quis opponat, membranam aeque bene ab ipsius tumoris vasibus exsudari posse, rationibus eum devincere despero.

Praeter ambas illas formas etiam alias procreari iam exemplis supra relatis expertum habemus. Adscribo casum a *Toepken* in „*Organ für die gesammte Heilkunde*" I. f. l. IV. p. 506 hisce verbis relatum: *Foemina*, in qua frustum placentae remanserat, quatuor annis post phthysi pulmonum periit. Sectione facta, uterus duplicem ambitum ostendit, nec non paries eius posterior ac dexter, ubi placenta adhaerebat, tripla crassitudine erat. *Ruysch* praeterea (op. omn. t. I. obs. 28) et *Ramsbotham* (Lond. Med.

Gaz. t. XIV. p. 770) veras hydatydas ex placentae residuis exortas viderunt.

Sed exempla aliarum formarum tam rara numerantur tamque obitur sunt magna parte observata, ut ad regulam novam confirmandam neque numero nec dignitate sufficiant et alia desiderentur, quae hanc „placentae adnatae" doctrinam, bonis quidem et certis principiis innixam, in posterum amplius etiam adaugeant.

In scribendo hoc plures mihi magnaeque difficultates obstabant, quas devincere mihi vires aut instrumenta potius defuere. Non quidem dico, ipsum thema ad perspiciendum difficilius, vel in elaborando ingratius atque molestius mihi fuisse; nam libentissime sane studioque in lineas crescente versatus sum in themate, quod in terminis accurate definitis positum tum in physiologia anatomiaque tum in arte obstetricia et novas et studio dignissimas res mihi suppeditavit. Sed eo potius molestia mihi allata est et moeror quidam, quod in tanta mea imperitia exempla meae mihi observationis deerant, ita ut omnia, quae afferre potui, ex aliorum eruditissimorum quidem virorum traditione suscipere ac describere deberem. Ac praesertim in rebus medicis quantum discrimen sit inter rei adspectum et inter eius descriptionem, quis ignorat? Quaenam, si ex sola descriptione discimus, dubitationes, quot errores, quanta desideria!

Neque tamen in hac ratione solum, quae ad universum magis spectat, sed in singulis quoque rebus plura et gravia requirebam, quorum desiderium eo flagrantius erat, quo maioris momenti apparebant ad summam quodammodo rerum perficiendam.

De funiculo, ut exemplo utar, umbilicali quamvis intellectu haud difficile sit, quomodo in singulis exemplis de eo agatur, nulla fere unquam mentio facta est. — Atque sectiones, quae solae in dubiis rebus fidem parant, quam raro

leviterque institutae sunt! De placentis dein duorum foetuum nihil fere memoratur, quod ad nostram rem pertinet. Ac de nutritione placentae retentae vasisque, quibus in placenta ipsa circulus sanguinis efficitur, meae solae coniecturae mihi presto erant eaeque dubiae et nescio an vanae. Resorptionem denique uberius tractare potuissem; sed auctores hac in re tanti sunt versati, ut ne sententia quidem nova mihi restiterit. Atque describere, quod alii cogitarunt, hoc molestissime fero. — Sed in tanto rerum discrimine, quo de fausto eventu desperare nonnunquam coepi, magnum mihi solatium attulit ipsa ars obstetricia, cuius gravitas in dies mihi venerabilior apparuit.

Etenim si colligimus exempla, in quibus solae naturae vires turbatis secundinis vario modo auxilio venerunt easque correxerunt, quam exiguus eorum numerus, quantum desiderium exstat subsidii aliunde occurrentis! Obstupui multis infaustis secundinarum exitibus, in quibus aut e rationibus aut consuetudine negligentiave soli naturae munus in partubus iuvandi permissum erat. Cl. *Ulsamer*, qui tabulas plurium nosocomiorum obstetriciorum collegit, easque inter se comparavit, in iis partubus, quibus methodum passivam secuti sunt medici, inter duas puerperas in universum unam secundinis turbatis periisse animadvertit, contra, activa methodo adhibita, puerperarum decimam quamque sextam exspirasse. — In singulis nosocomiis eventus etiam splendidior est. In nosocomiis Monachii atque Herbipoli, ubi methodus activa adhibita est, nulla puerpera secundinis periit. — Ac cl. *de Siebold* in ephemeridibus suis tom. IV. p. 561 eas puerperas refert, quarum secundinae solvi non potuissent, cunctas obiisse, caeteras autem, quae manu potuissent iuvari, omnes servatas esse incolumes.

Quare medicus obstetricius non iuvat tantum naturam, sed eam potius superat!

VITA

Caroli Reineri Hertz.

Natus sum Bonnae, die XVI. mensis Iunii MDCCCXVII, *Ioanne Hertz* et *Anna Müller*, parentibus. Fide catholica educatus sum. Per octo annos Gymnasium Bonnense frequentavi. Demissus inde cum testimonio maturitatis et, die XXV. m. Octob. MDCCCXXXVIII ab *Mayer* V. Cl. Rectore t. t. Magnifico inter Cives Academiae Fridericiae Guilelmiae Rhenanae receptus, apud Cl. *Wutzer* t. t. decanum gratiosi medicorum ordinis spectatissimum ordini medicorum adscriptus sum. Haece sunt scholae, quas quadriennio audivi: Psychologia et logice apud *Fichte* V. Cl.; botanice apud *Treviranum* V. Cl.; zoologia apud *Goldfuss* V. Cl.; mineralogia apud *Noeggerath* V. Cl.; chemia experimentalis, phytochemia et zoochemia apud *Bischof* V. Cl.; physice apud *Plücker* V. Cl. — Methodologia et pathologia et semiotice apud *Naumann* Cl. V.; anatomia corporis humani et generalis et specialis, ars secandi apud Cl. *Mayer* et Cl. *Weber*; physilogia, anatomia animalium, observationes microscopiae apud Cl. V. *Mayer*; operationes in cadavere instituendae, situs viscerum apud *Weber* V. Cl.; materia medica et ars formulas medicas scribendi apud *Bischoff* V. Cl.; therapia generalis et specialis, clinicum medicum et propaedeuticum et therapeuticum apud *Nasse* V. Cl.; chirurgia, akiurgia, selecta chirurgiae capita, clinicum et policlinicum et ophthalmiatricum apud *Wutzer* V. Cl.; ars obstetricia, de morbis infantum, de instrumentis obstetriciis, exercitationes ad phan-

toma, clinicum obstetricium, medina forensis apud V. Cl. *Kilian.*

Praeterea per annum in septima equitum cohorte, duce Cl. Dr. *Kallmann*, chirurgi militaris munere functus sum.

Quibus viris Clarissimis, doctissimis optimeque de me meritis animum gratissimum semper habebo; imprimis singulares et summas gratias in perpetuum agam illustrissimo anatomiae et physiologiae professori Cl. *Mayer*, quod mihi per quattuor annos in museo anatomico assistenti eximiam indulgentiam et benevolentiam semper praebuit.

THESES CONTROVERSAE.

1. *Medicus omnia scire debet.*
2. *Morbus Whyttii est morbus secundarius.*
3. *Abscessus in pulmonibus recentes dignosci nequeunt.*
4. *Pectoriloquiam ab bronchophonia non destinguis.*
5. *Omnia remedia sunt specifica.*
6. *Remedia sunt dividenda secundum chemicam compositionem.*
7. *Ambigua est dictio: typhus cerebralis.*
8. *Calculorum urinariorum composito solis oculis et tactu dignoscitur.*
9. *Primus cordis sonus oritur ab strepitu musculari.*
10. *Et alter nascitur ex repulsione sanguinis contra valvulas semilunares.*
11. *Oriuntur tubercula pulmonum ex dyscrasia sanguinis; sed causam dyscrasiae pono in pulmonibus ipsis.*
12. *Emetica in curanda pulmonum tuberculosi eam ob rem utilissima habeo, quod vomitu pulmones et pectus, quantum fieri queat, extenduntur.*
13. *Liebigii theoria de conformatione aetheris haud probanda est.*
14. *Omnes machinae, quae proponuntur ad fracturam cruris colli curandam, vituperandae sunt.*
15. *Virus gonnorrhoicum ab syphilitico omnino discrepat.*
16. *Luxatio cruris adnata sanabilis est.*
17. *Placenta, hercle, difficilior, quam infans ipse!*
18. *Reiicienda est dictio: putrescentia uteri.*
19. *Probandum est nomen: strepitus placentaris.*
20. *Forceps et trahendo et premendo agit.*